corum doctrina, omnes cõterunt dies, & saxatiles pisces illos intelligũt, qui in leuibus, aut arenosis, aut terreis littoribus & aquis mãsitant, cùm potius illi intelligi debeant, qui in saxosis locis, et circa promontoria, seu maris scopulos delitescunt, seseque exercent, si Galeno, Celsoque, ac cæteris optimis autoribus fidem præstabunt, apertè quidem errorem suum cognoscent atque intelligent. De Cammaris dabo operam omnino, ut tibi morem gerã prius, quàm annuæ Domini decimæ, quas dies quadragesimales appellant, expleantur, aut citius etiam, si fieri poterit. Vale. XVII. calend. Mart. M. D. XXXVIII.

Tertio de alim. facul. & alibi.

Aloisius Mundella medicus, Hieronymo Feroldo medico. De Cammaris. EPIST. IX.

VM ea animi vigilantia & prudentia præditus sis, vt semper in singulis optimè collocãdis horis te industrium præbeas, aliosque ad bonas capessendas artes pro sua & communi omnium vtilitate adhorteris: talemque in rei medicæ inuestigandis, explicandisque difficultatibus te ostendas, vt quæ Medico, & communi mortalium saluti expediunt,

ea semper excogites, & in his te semper exerceas, non potui mentem meam tibi non aperire, quidnam per Cammaros veteres intelligendum esse voluerint. Atq; cùm plurimum me obsecrasses, cumque negocium hoc non minimæ cõsiderationis, & vtilitatis mihi visum sit, sed maximi emolumenti potius, ob singulare illud cancrorum fluuialium assatorũ cinerũ remedium, ab omnibus quidem celebratissimis Medicis tum Græcis tum Arabibus tantopere decantatum contra vulnus à cane rabido homini inflictum, tibi pro viribus vt satisfacerem, mihi commodum putaui, ea tamen cõditione ac lege, vt si quid minus rectè à me dictum fuerit, & à Galeni methodis aberrauerit, illud arbitratu tuo et mutes, & corrigas, & etiam, si opus fuerit, obliteres: malo enim opinione mea discedere, et aliorum, quæ potior fuerit, sententiæ hærere vel cum aliqua famæ iactura, quàm impudentiæ & pertinaciæ crimen subire. Cancrorum igitur appellatione in primis marinum omne genus, fluuiale & lacustre comprehendi volumus, pluresq; illorum esse species affirmamus: quapropter rationi consentaneum videtur, varias

can-

cancrorum esse posse facultates, secundum varias eorum differentias, præcipuè qui in fluminibus morãtur, & marina incolunt loca, propter aliam & aliam cùm aquæ, tum aëris, & pabuli vim, & naturam: quemadmodum si quis in Galeni, Aëtijq; disciplina probè versatus fuerit, illi satis constare potest, huius præcipuè secundo libro, cap. cxxxiiij. illius verò tertio de alim. facult. Quod autem te magis premit, ambiguumq; reddit, illud potissimum est, Cammari ne, an cancri præparati aduersus canis rabiem dari debeant: amboq; idém ne penitus sint, an diuersæ speciei. Cui rei in hunc modum rectè responderi posse puto, ab antiquorum quidem scriptis non discedendo: fluuiales cancros ad tale morbi genus pellendum pro medicamento propinandos esse, iuxta probatorum autorum sensum, præsertim Galeni xi. de simp. med. facult. qui etsi Pelopi præceptori in nonnullis aduersari videatur, nõ tamen negat fluuiales cancros nobis non esse præparandos, atque exhibendos, tanquã præsentaneum rabidi canis remedium: id quod periti omnes sine controuersia autores quidem præcipiunt. Sed si accuratè illius verba considerentur,

Pelopi aduersatur: quia, quòd cancri in hac curatione, qualitate manifesta, non autem occulta substantiæ proprietate agant, quoad poterat tueri conabatur, quemadmodum & reliqua omnia quæ ibi numerantur medicamenta. Quo autem modo cãcri vri debeant in pulueren, quoniam à plerisque traditum est & indicatum, neque id nũc à nobis petis, ideo ad extremum sermonis properãs, breuius quàm potero, quæ adhuc mihi dicenda restant, prius expediam. Quamuis igitur cancrorũ nomenclatura, vt suprà dixi, plures comprehendantur illorũ species, propterea tamen dicendum non est, cancrum & cammarum vnius & eiusdem esse facultatis. Res enim de qua nunc agitur, non minimæ est considerationis, propter perniciosum illud canis rabidi virus subitò interdum hominem perimens, nonnunquã tardè, nisi tempestiuè aliquo peculiari alexipharmaco illi occurramus: non enim quiescit canis venenum, licet se non prodat multis interim proximis mensibus, vt ait Galenus in iij. de morbis vulgaribus cõment. iij. Citæ verò mortis & tardæ causam existimo esse cũ patientis dispositionem, tum agentis potentiam.

Vt

Vt autem opinionem nostram verã esse confirmemus dignis aliquibus testimonijs, primum omnium audias velim Galenum in secũdo de temperamentis, vbi ex cutis qualitate nonnullorum inuestigantium cætera animaliũ membra cuiusnã essent temperaturæ, rationes egregiè confutat, cuius verba hæc sunt: Malacostraca, hoc est, quæ molli testa integuntur, veluti marinæ locustæ, & cammari, & cancri quidam, cutem habent siccam &c. vbi Galenum de marinis mentionẽ facientem, cãcros à cãmaris manifestè discreuisse, nemini dubium est. Hoc idem penitus dicit in tertio de alim. facul. & aphor. xviij. secũdi libri. Possem etiã Pauli Aeginetæ, Pselliq; de rat. vict. testimonium ad confirmationẽ nostræ sententiæ commodùm adhibere, qui inter marina ostracodermata, cãcros à cãmaris, paguris, et reliquis crustaceis distinguũt: verũ breuitati cõsulens, ea præterire, ut superuacanea, satius esse duxi, his, quæ proximè scripsi, cõtentus, in quibus à me tibi satisfactum esse adducor vt credam. Si enim cancer & cãmarus solo nomine tãtùm inter se differrẽt, nõ quidẽ incõmodum esset, si quispiã vel hunc vel illũ sumeret, vel fluuialẽ,

Lib. j. cap. xcj.

ad puluerem illum aduersus canis rabidi morsus præparandum: sed cùm omnes secus sentiant, Paulusque Aegineta libro vij. manifestè affirmet, nequaquam in curatione ista maris cancros sumi opus esse, necessariò sequitur, fluuiales, non alios, illos esse, qui aduersus morbum hũc ab autorib. tradũtur: quod ab Aëtio quoque confirmatur. Cæterùm si id Plinij nono naturalis historiæ lib. necnon Aristotelis testimonio corroborauero, nullus postea amplius relinquetur dubitationi locus: hic enim quarto de partib. animal. cammaros, cancros, locustas, squillas, quoniam in plures species nõ modò forma, sed etiam magnitudine multùm inter se differunt, adeò exactè distinxit, vt neminem, nisi crassiore fuerit ingenio aut pertinaci, tergiuersari & aduersari, sed nobiscum sentire oporteat. Scio Aristotelem religiose obseruasse testaceorum nomen, vt pote à crustaceis distinctum: Pliniũ verò, atq; alios interdum, si rectè recolo, eos alia nomenclatura nominare. Quoniam verò in plerisque locis illi à Gal. damnati sunt, qui semper de nominibus certant, cùm res, de qua habetur sermo, cognita est, quapropter ne & ipse in eandem reprehen-

Secundo de re med. cap. cxliij.

Cap. xxxj.

Cap. vij.

prehensionis notam incidam, orationi meæ finem imponam, de omnibus quæ à nobis petieras, tibi factum satis esse existimans. Vale. VI. Idus Aprilis, M. D. XXXVIII.

Aloisius Mundella medicus, Antonio Mercandono medico. De clysterum usu, ac medicamentis soluentibus.

EPIST. X.

EXPEDITIS negocijs nostris, quæ in curandis ægrotis versari solent, in eũ nos locum contulimus, in quem plerunq; exercitandi ingenij nostri, & rei medicæ difficultates discutiendi gratia, tanquam in alterũ Lyceum conuenire consueuimus, vbi quod reliquum erat xi. libri curandi methodi Galeni, explicãdum aggressi sumus. Sed id nobis omnibus magis animaduersione dignum visum fuit, nullam scilicet, quæ in eo appareat libro, de pharmacis soluentibus à Gal. mentionem factam fuisse, cùm tamen ibi peculiarem febriũ putridarum curationem tradere instituat: sed tãtummodo de vomitu, balneis, humores dissecantibus medicamentis, & poros cutis aperientibus, atque materiam corruptam per vrinæ aluiq;